

71. *Der Zeitzer Scholaster Konrad bestätigt als Beauftragter des Naumburger Bischofs erneut das Präsentationsrecht der Familie Zschakan für das Hospital vor dem Frauentor zu Zwickau.*

1330 April 13

Original nicht zu ermitteln. — Abschrift: Stadtarchiv Zwickau, K 1 Nr. 9b I, fol. 2v–3r (15. Jh.) (B₁), 4r (15. Jh.) (B₂); ebenda; K 1, Nr. 9a, fol. 30r–30v (16. Jh.) (C); ebenda, III d Nr. 15, Kopialbuch III, fol. 24r–25v (16. Jh.) (D). Der Druck folgt (B₁). — Edition: Herzog, Chronik II, S. 877 f., Nr. 13. — Zur Sache: Herzog, Chronik II, S. 60; Kahleyß, Bürger und Kirche, S. 166.

In nomine domini amen. Ad universorum presentes intuentium noticiam, quorum interest aut qui sua crediderint interesse, nos Conra[dus] scolasticus ecclesie Czyczensis, commissarius reverendi in Christo patris ac domini domini Heinrici Nuenburgensis ecclesie episcopi ad infrascripta specialiter deputatus, cupimus pervenire, quod comparentibus coram nobis prudentibus viris Nicolao et Wernhero fratribus dictis Zcakan opidanis in Zwickowe Nuemburgensis^{a)} dyocesis et coram attentis personis infrascriptis proposuerunt, quod, cum capella omnium sanctorum hospitalis extra muros Zwickavienses iuxta valvam sancte Marie per honestam matronam dominam Kunegundim, quondam matrem eorum, relictam bone memorie quondam Wernheri Zcakan, dicti patris eorundem, fundata, edificata et competentibus redditibus dotata dinosceretur de connivencia, consensu et approbacione felix recordacionis quondam domini Ulrici Nuemburgensis episcopi traditis per eundem dominum Ulricum episcopum litteris consensus sui, que alias ex infortunato casu igne consumpta fuerunt, in cuius quidem capelle possessione iuris presentandi pacifica racione fundacionis a tempore eiusdem iam per viginti annos et amplius quiete fuerunt et cum^{b)} instancia debita petiverunt sibi per nos auctoritate commissaria ut supra de iure^{c)} presentacionis ad ipsos Nicolaum et Wernherum et suam posteritatem ab eis legitime descendente pertinenti virtute fundacionis ut supra instrumenta cum interposicione decreti debita innovari. Nos itaque habito de hoc solenni edicto et coram nobis in ambitu ecclesie Czicensis producto instrumento quodam sigillo opidi Zwickawe^{d)} sigillato, prout constat^{b)}, quo expresse continebatur dominam | Kunegundim matrem iam dictorum Nicolai et Wernheri fuisse fundatricem capelle hospitalis omnium sanctorum memorate vocatis nihilominus et coram nobis productis testibus ydoneis et legalibus, videlicet domino Heinrico dicto Ciconia plebano in Mastoph, Heinrico dicto Risch opidano Czycensi et dicto Petro et Heinrico de Salburgk opidanis in Zwickaw, qui fidenter loco iuramenti prestiti testando deposuerunt de fundacione capelle ut supra, et quod ipse Nicolaus et Wernherus post mortem matris predictae in possessione iuris presentandi capelle sepepredicte pacifice fuerunt testantes et deponentes, quod sepepredicta domina Kunegundis mater fundata capella magistrum Johannem de Kemnitz posteaque ea defuncta et ipso magistro Johanni sublato Nicolaus Zcakan de consensu Wern[heri] fratris sui Johannem dictum Czwirckel, deinde eodem Johanni Czwirckil renunciante et Fridericum dictum Roszemarg clericos presentarunt^{e)}, qui virtute presentacionis huiusmodi per archidiaconum loci de accessu altaris fuerunt canonice investiti, et quod de consuetudine penitus sit servatum, ut senior ipsorum de connivencia et consensu aliorum dicte parentele ad capellam ipsam, dum vacat, personam ydoneam habuerit et